

952

in principio statim validè incidentia, aperiencia, ac attenuantia exhibeamus: quæ, præterquam quod diuretica simul sint, ac vitiosos humores ad venas & renes secum rapiant, majoraq; in iis mala excitent; & calida sint omnia, ac siccitatem vasorum augeant: proin ut ante dictum, ita contemperanda cum humectantibus sunt, ut omni intentioni satisfiat. Omnia verò medicamenta majori emolumento FORMA LIQUIDA exhibentur, quam sicca. Et singularem usum in hoc affectu *serum lactis caprill.* præstat: in quo, vel simplicia infundi ac coqui, vel *succi essent.* ac *tract. pulveresq;* dissolvi queunt; vel iis sumptis, ut & *pilulis & trochisc.* paratis deglutitis, superbibi potest: uti *Senn. l. 1. p. 1. c. 12. med. pr.* modum id sumendi tradit, & tanquam summæ utilitatis sæpius usurpatum commendat. Si quis verò à flatulentia ejus noxiam aliquam metuat, facile ea addit. *Sem. anis. fenic. ac coriandr.* imò *ligni saffavr.* præcaveri potest. Crato ut in omnibus affectibus melancholicis, ita in hoc, decoctum raporum ut maximè utile: medicamentum commendat: cum quo & *Horst. l. 3. ep. med. s. 4.* consentit; qui & *eodem loco* succis cum primis depuratis ex viridibus plantis expressis, magnam efficaciam ob sal volatile tribuit. Illud verò hic prætereundum minimè, CHYMIC. suis ex  $\Phi$ ro paratis medicamentis magnam in hoc casu tribuere vim; ita ut *Hartman in praxi chymiatric*  $\Phi$ rum  $\Theta$ lat. cum *Crollio* universale apellerit digestivum: nec minorem efficaciam *spir.  $\Theta$*  ac  $\Phi$  habere asserunt. Cum verò hæc medicamenta omnia sint ACIDA, non immeritò *Senn. paralip. 3. ad lib. 1. med. pr. p. 1. c. 12.* & cum eo *Clar. Dn. D. Iac. Ian. Regis. Dan. Medic. in manuscript.* non solum dubitant, num in hoc affectu tanta virtus iis tribuenda sit? Sed contra potius asserunt, quod ea, utpotè calida non solum multum ac succo corpore nimis exiccant; sed & acida humorem melancholicum augeant, & juxta *Hippocr.* exaltent: & si usus eorum in eo aliquis sit, incidenti ac attenuandi tantum causa, calidosq; ac ferocientes vapores cohibendi, in modicâ quantitate ac parçâ manu sint adhibenda. Ex quibus jam enumeratis medicamentis, tam simplicibus quam compositis, facile quilibet artis suæ gnarus probè; & pro ægri conditione, & rei necessitate, formulas concinnare poterit; nec opus est earum seriem hic pertexere, cum autorum libri iisdem sint satis referti.